

xxii

Q. D. B. V.

DE

DÆMONOLOGIA

RECENTIORUM AU-
CTORUM FALSA,

disputabit publicè

NATHANAEAL Wald / SS.

Theol. D. & Ejusd. vocatus apud Steti-
nenses Prof. Prim. ad Div. Mariæ Pastor, &c.
hactenus Colleg. Phil. Adjunctus.

RESPONDENTE

GEORG. ABRAHAMO Wolf /

Saydâ Misnicus.

Die XXIX. Octobr. St. V. A. O. R. M. DC. XCII.

In Auditorio Majori.

Horis pomer.



VVITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.

16. 16.

et. XXXII. 9.

Coll. diss. A
32, 9

G. D. B. A. V.
DE
DÄMONOLOGIA

RECENSIONUM ALI-
CTORUM FALSA,

NATHANIEL BROWN 22.

Theol. D. & Eiusd. ut canis apud sterc.




GEORG ABRAHAMO

DMXXIX OBER N. A. O. R. M. DC. XCI

In Auctione Majori

Hinc post



Typis MARTINI WITTEBERGII



Q. D. B. V.

Dissertatio IV.

DE

DÆMONOLOGIA BEKKERI

ET ALIORUM.

Respondente

GEORG. ABRAHAMO Wolf /

Seyda-Misnico.

§. I.

DUm in omnium ore Balthasar Bekkerus est, qui *Fascinatum* nuper *Orbem* (idionate Belgico *de Betoverde Weereld*) in medium protulit, tot hætenus judiciis impetitū, impugnatumq; à nonnullis etiam defensum Volumen, nostræ nunc operis argumentum constituimus, ut Autoris mentem de Dæmonibus exponamus breviter, nec sine censura dimittamus unum alterumve ejus dubium, quo inductus omnem omninò orbem erroris convincere, quamque indignè hætenus de Diabolo crediderit, commonstrare allaboravit. Dudum est, pluresque abire anni, quod Bekkerus ille novo scribendi docendiqve genere innotuit. Nam cum in Frisiâ apud Franekeranos sacro fungeretur officio, Catechismum aut, si mavis, Commentarium quendam in Catechismum edidit, qui cum abire à Formulis Doctrinæ Reformatæ hinc inde videretur, Synodi decreto

A

damnatus

damnatus est, Bekkero vel hac de causa alias quærente sedes, unde Hollandiam ingressus Amstelodami amicos invenit, quorum opera Ministerio Ecclesiastico ibidem admotus fuit. Latebat hic aliquandiu, nec, quod mente conceperat, inauditum fere dogma de Diabolo publicæ luci prius exponebat, quàm ante binos prope annos, ubi Leovvardiæ prodiit Liber ipsius, quem modò appellavi, in forma 8va typis exscriptus. Hic cum monstri aliquid alere judicaretur, famam statim sui per circumjacentes terras extulit, & in omnium esse sermone cœpit, non ferente invidiam, quâ jam tum ferebatur opus, Bekkero, qui propterea surreptum sibi illud asserens, nec debita examinatum curâ prodiisse, (quanquam litem ei idcirco movit, & nihil in edendo Volumine præter Bekkeri consensum tentatum fuisse docuit Typographus Leovardiensis in pecul. Scripto, quod præmittitur Tractatui, cui tit. *Fascinatus Bekkerus*) de novo exire illud in publicum Amstelodami in forma IVta jusfit, ubi subinde nonnulla mutasse deprehenditur, quæ securitibus scripta ante fuerant, ita tamen, ut sententiam prioris Libri, qui Leovardiensis erat, servatam integram clariusque expositam fateatur Bekkerus in Præfat. ipsius. Jamque movisse cineres videbatur, & clasticum cecinisse Autor, quando modò non quotidie prodibant, qui tecto ferè tacitoque nomine aggrediebantur Bekkerum, inter quos refero Anonymos, qui *Fascinatum Bekkerum (de Betoverde Bekker)* it. *Diabolum exterminatum revocatum (de Gebannen duyvel weder ingeroepen)* scripserunt, & quem primo loco appellare debebam, Autor Pseudonymus $\text{הַבְּרִיָּה פִּילֹאֲלִיָּהוּס}$ (quem Bekkerus Everhardum vander Hooght Ecclesiastem Nievvendamensem in scripto pro se Aphologetico appellat) in *Epistolis* contra Bekkerum Belgicè editis, quarum argumentum est, ut datâ operâ à capite ad calcem Bekkerum examinent, Scripturam S. vindicent, & quantum à Formulis Ecclesiarum Reformatarum Antagonista abeat, ostendant. Idem deinde egit VIR celeberrimus *Melchior Leydekkerus*, Theologus Ultrajectinus, edita *Dissertatione Historico-Theologicâ de Vulgato*
nuper

nuper Bekkeri Volumine & *Scripturarum auctoritate ac veritate pro Christianâ Religione Apologeticâ*; & ante hunc Philosophus Ultrajectinus, *Samuel de Vries* (quanquam ille quasi aliud agendo Bekkerum tangat, qui dum hunc Librum meditaretur primum Auctor, nondum prodierat, *Vid. Præfat.*) in *L. Belgico*, cui tit. est: *Sathanas in Essentiâ suâ, Proprietatibus, Actionibus & artibus circulatoriis declaratus &c.* (*de Satan in sin Weesen, Aert, Bedyfen Gnychel-Spel verdoond &c.*) De aliis taceo, in primis *Petro Schak*, Ecclesiaste Amstelodamensi, qui Dogma Bekkerianum de Diabolo aliquot *Concionibus* editis refutat; vindicante subinde, in primis contra Van der Hooght, conatum suum Bekkero, aliisque ejus Fautoribus, qui *Satyrice* etiam *Scriptis* quibusdam dissentientes indignis modis exceperunt. Sed dum hæc à privatis geruntur, non filebant Collegia publica inter Batavos, quibus sacrorum cura demandata est. Multum cum Bekkero egit Senatus Ecclesiasticus Amstelodamensis, ut ad meliorem mentem revocare Virum possent, sed nihil omnino proficientes, ad Classem, quam vocant, seu Majorem Senatum Ecclesiasticum rem detulit, in quo benignos subinde Judices invenisse Bekkerum, resque eò redacta hoc Anno die 22. Januar. videbatur, ut si Nomen subscribere paucis quibusdam Conditionibus propositis, (Articulos vocant) Bekkerus vellet, & interponere pro eo fidem suam vellet, quod in posterum servaturus sibi esset sententiam, nec expositurus in publicum, ille Ecclesiastico Muneri obeundo relinqueretur. Sed pondus omni negotio Synodus attulit Hollandiæ Borealis, apud Edammenses primum, tum Alkmaarienses habita, ad quam provocaverat sub initium; deinceps verò, cum negotium non ex voto procedere deprehendisset, contra illam publico Scripto, velut Judicem nullius in se potestatis, dixerat Bekkerus. Hæc verò examinata diligenter per Ecclesiæ Ministros sententiâ menteque auctoris, Librum primò Bekkerianum damnavit, tum ab ipso, ut publicè palinodiam caneret, & quod Ecclesiæ haud leve scandalum dederit, fratres in fide turbarit, malè cum Scriptura, pejus cum interpretibus Reformatis

matis, publicisque Confessionibus egerit, quin contumeliis ipsum affecerit Salvatorem nostrum, testaretur, severè voluit, suspensione primùm ab Officio per aliquot Menses Bekkerum afficiens, donec re penitus desperatâ, morasque ex moris trahente Bekkero, muneri ipsum penitus interdiceret; Senatus verò Ecclesiasticus Amstelodamensis communione etiam de sacrâ Cœnâ arceret, & ex membrorum Ecclesiæ numero excluderet, quod Mense Julio & Augusto hujus anni accidit. Rem omnem, quæ in his Conventibus acta est, exposuit in Epistolis suis Philalethes; & ipse Narratorem eorum, quæ acta fuerunt, publicum egit Bekkerus, in *Brevi & Verâ Relatione* (Belgicè scriptâ) de iis, quæ contigerunt à 13. die Maji 1691. usque ad 21. Augusti 1692. in Senatu & Classe Eccles. Amstelod. atque Synodo Hollandiæ Borealis, in Causâ Balthasaris Bekkeri; Ex Philalethis recensione negotium illud persequitur Auctor *Der Monatlichen Gespräche* / qui Mense Februar. hujus anni initium illius narrationis dedit.

§. 2. Cæterùm, quod ad ipsa Bekkeri Dogmata attinet, res omnis in hunc modum, se habet. Quatuor edere Libros, aut Libri Partes potius, constituit; Prima & Secunda viderunt lucem; in primâ id egit Autor, ut Mores Gentium in afferendis colendisque Diabolis recenseret, & quâ Dæmonem potentiâ viribusque insignem Opiniones hominum effecerint, commonstraret; in secundâ verò, ut Scripturam de Dæmonibus agentem exponeret, Argumentisque, deceptos, quos putat, homines, de exili aut nulla potius Diaboli in Mundo operatione convinceret. Tertia & Quarta Pars, investigationi sententiarum, quibus de Dæmone ejusque mira operandi versutia & conatu, statuunt communiter, qui receptas opiniones sequuntur, destinatae erant, nisi Superiorum interdicto Libri illi, quo minus exirent in publicum, præpediti & repressi fuissent. Vid. *L. 1. c. 1. §. 7. & 8.* de Opere primæ, tertiz, quartæq; partis, quod facilem invenire legentium consensum possint, ipse Autor judicat *Prefat. L. 1.* sed de secundo Libro sibi metuit, estque ille, ex quo sententia Viri pendet atque examinanda

minanda est. Hanc ut in compendio referam, id dicendum est: Statuit Bekkerus, quicquid de Angelis, Diabolis, eorumque potestate docetur, ex Gentilismo derivatum ad Papicolas, ab illis traductum etiam ad alios fuisse, ut Deos quasi quosdam Medios crederent, qui Summum Deum curâ rerum gerendarum levaturi intermediam substantiam constituerent, quæ quicquid apud homines ageretur, referret ad supremum Numen, deprecaretur pro hominibus, aut accusaret eos, ab illo demum ad hæc inferiora ablegata varias in hoc mundo operationes ederet. Vid. *L. 2 c. 3. §. 3. sqq.* Hoc est, quod ille absurdum dictu censet, itaque existimat, quod quamvis omninò & boni dentur & mali Angeli, illi tamen eâ, quâ feruntur potestate instructi non sint; neque verò absolum esse putat, si dixerit, unum tantum esse Diabolum, qui Angelis malis quasi ministris utatur, cū quibus tamen gehennæ inclusus à Deo, nec adsit huic mundo, nec nocere, nec omninò operari possit. Vid. *C. 9. & 10.* Cū verò aliud doceri ex Scripturâ posse pateat, id sibi sumit negotii Autor, ut in alium sensum trahat, quæ hætenus de Diabolicâ potestate & operandi modo explicata fuerūt, Codicis Sacri loca. Plurima illorū de morbis intelligenda esse, quibus affecti fuerint homines, cū à Dæmone agitati crederentur, alia Dæmonis vel Diaboli nomine malos describere homines, qui aliorum imprimis famæ insidiati fuerint, arbitratur; si aliud svadeant circumstantiæ. Textus, talē esse sensum Spiritūs S. dicit, quem nos concipere & assequi non valeamus. Sic de lapsu primi hominis per Diaboli versutiã conciliato *Gen. 3.* nescire se dicit, quid statuere debeat, cū nec serpentitū nec Diabolo tribui res illa possit; unde quamvis ipse olim ex communi Autorum sensu hoc negotium explicaverit, nunc tamen aliud existimet, quamvis quod ad sensum mysticum, narrationem omnem Mosaicam referre velit, haud obscuris iudiciis declaret. Vid. *Cap. 20.* De Angelis Abrahamo pariter atque Lotho apparentibus *Gen. 18. & 19.* non aliter putat, quàm quod homines fuerint; unde Paulus nominando eos Angelos non nisi nuntios hoc nomine indigitatos voluerit & legatos. Vid. *Cap. 14.* De Angelis, per quos legem datam esse

se in Monte Sinai *Act. 7. 53. Gal. 3. 19.* dicitur, ita statuendum putat, non quod revera illi huic actui adfuerint, sed quod appellatio ipsorum Majestatem tantum Dei describat, per illos ministros multò adhuc illustriorem factam. *Vid. C. 15.* Christum dicit non à diabolo tentatum in deserto *Math. 4.* sed Deum Patrem effecisse, ut Servator noster quasi in imagine & ideà cogitando videret Diabolum, imaginaretur sibi, ac si cum ipso loqueretur, quod actu factum non sit. *Vid. Cap. 21.* Diabolum, quo seductus legitur David, ut populum numeraret *1. Chron. 21. 1.* hominem fuisse ait, fortasse aulicum quendam Davidis. *Cap. 22.* Sic de homine malevolo explicat litem, quæ circa Corpus Mosis mota fuisse asseritur *Jud. v. 6. Vid. Cap. 23.* Dæmonem, qui per vetulam loquebatur Sauli *1. Sam. 28. 7. seqq.* hominem fuisse ait, suppositum à Veneficâ & instructum, qui in eo mentitus fuerit, aut saltem ambiguè locutus, quod altera die Sauli interitum denuntiabat, cum ille eâ die non contigerit. Idem de aliis sentit, quibus spiritus aliquis Python tribuitur in S. literis; ut *Act. 16. 16. seqq.* Jobus, juxta hunc interpretem, à Diabolo afflictus non fuit; neque enim nebulonem illum infernalem (dien-Hellschen Bändreißel) tantæ unquam fuisse potestatis, ut amicos Dei excruciaret, sed Deum ipsum autorem exstitisse calamitatis, quam verbis mysticis Scriptura describat, ut patere possit, quod gravi sæpe subjiciantur tentationi à Deo, ad suppeditanda aliis patientiæ argumenta, quos caros sibi maximeq; acceptos habet. Quomodo & cum Paulo Deus egerit, cui Angelum aliquem Sathanis, h. e. Ministrum quendam Judicis, ab ipso missum (ideoq; Angelum dictum) ut ab illo virgis fustibusq; cæderetur, attribuisse dicatur. *2. Cor. 12. 7. Vid. Cap. 25.* Quos à Diabolo obsessos fuisse Scriptura memorat, eos infaniâ agitados, menteque captos, aut peculiaribus quibusdam morbis affectos arbitratur *Vid. Cap. 27.* unde verba Christi, quibus in expellendis Dæmonibus usus est, ad errorem vulgi accommodata fuerint, *Cap. 28. adde cap. 29.* Haudaliter sentit de Lunaticis. *Cap. 30.* In aliis Scripturæ dictis, ubi Potestatum, Magistratum, Principis hujus mundi, ævi, aëris,

aëris, mentio fit, homines designatos, eosque potestate illustres, affirmat; C. 31. de quibus, in primis, si Calumniatores fuerint, Petrus intelligi debeat, cum *Diabolum circumire dicit veluti Leonem rugientem, & querere, quem deo orare possit* 1. Petr. 3. 16. haud secus, atque Paulus expetat, ut *caveamus astutos impetus Diaboli*, h. e. fallacias & sophisticationes Philosophorum, quæ *funes sint Diaboli*, quos idem Apostolus memorat 2. Tim. 2. 26. Vid. Cap. 17. Absona profectò hæc omnia sunt, & quæ cordato cuicunque bilem moveant, sed nihil magis infrunitam hominis mentem arguit, quam quod Angelos, quos Judas dicit *non conservasse originem suam, sed reliquisse Domicilium suum, unde judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine serventur*, Jud. v. 6. eosdem, quibus Deum non pepercisse, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidisse Petrus affirmat, 2. Epist. 2. 4. putat fortè exploratores esse terræ Canaan, qui cum malo nuntio terrerent populum, judicio divino condemnati sunt, quod videre ipsi & reliquus populus, præter Josuam & Calebum, non debeant terram promissionis, Num. 13. & 14. Vid. Cap. 9. Plura non refero, quod possem, si quid de Spectris, Somniisque sentiat Autor, referre vellem; ipse Hobbesium in hoc passu & Spinozam, quos nuper examinavimus, egregiè exprimit, & rem omnem persuasionibus hominum phantasticis adscribit Cap. 23. quod ipsum latius jam olim declaraverat in *Disquisitione suâ de Cometis* (*Onderzoek over de Kometen*) cap. 25. 29.

§. 3. Et sanè hic ipse ejus Liber est, in quo prima sparfit Opinionis suæ semina Auctor. Quod in *Comment. ad Danielelem* (*Vullegginge van den Propheet Daniel*) Anno 1688. edito nihil propè de sententiâ suâ ingerat, ferè miror; quanquam Danielis 10. 11. ac 12. Capita in eundem sensum intellecta velit, atque de Jobi calamitatibus & afflictione Diabolicâ mentem antè exposuit. Vid. *Comment. citatus Bekkeri* p. 652. seqq.

§. 4. Hoc verò cacoëthes illud dogmatum hujus Autoris est; cujus causâ opus scilicet erat, ut ipse gloriaretur: *Ego Diabolum ex hoc mundo elimino, & constringo in inferno; ut liberius dominetur Jesus Rex noster. Confido verbis Domini: Ne me-*
mitte

time de iis, qui Corpus tantum occidere possunt; de eo vero metuite, qui Corpus & animam tradere potest, in gebennam. Matth. 10. 28. Multo minus ego illum horreo, qui nullam in utrumque potestatem habet, nec iudicium in eos, qui pro ipso operantur. At si eiusmodi ille Deus est, contendat pro se, & adversus me, quia altare ipsius dirui, Jud. 6. 32. In nomine Domini Exercituum aggressus sum hunc Goliathum, videamus, quis succurrat ipsi. Malus ille spiritus, ille adeo solers, adeo insidiosus, adeo rebus omnibus intentus, nihil quicquam scivit de Conatu meo, nihil quicquam animadvertit omni illo tempore, quo ego in id intendi viribus nervisque, quibus potui, ut Coronam Capiti ejus detraherem, & Thronum Regium conjicerem in flammis: Neque tamen ex improvise ipsum adortus sum, sed diu minitatus, neque per cuniculos in eum irrui, sed aperto Marte, sic ut omnis id nosset orbis. Sed Diabolus, quem ego nunc impugno, ipse illud non novit; si secus habet, ipseque intelligit spiritus malitiae & superbiae, quid est, quod ignominiam illam ferre potest? quid est, quod quietum me esse sinit, ut haec peragam? Ego nec video illum, nec audio &c. Vid. Praefat. L. 1. Belgiae ex scriptam.

§. 5. Mirari vero subit, unde tanta in hoc Viro rerum suarum fiducia, quem bellum indixisse non Dæmoni tantum, sed Orbi, sed eruditis quibuscunque constabat. At cum cogito, in quorum Scholis profectus ille suos fecerit, jam de animo hominis & se ipsum efferendi studio judicare pronum est. Ab Hobbefio certe & Spinoza, quamvis id valde nolit, at quantis his Thrafonibus! haud parum addidit, quorum non explicationes tantum in evolvendo sacro Codice suas facit, sed ipsum opus, ut Dæmonum neget in hoc mundo potentiam agendi que conatum, studiosè amplectitur. Num Cartesio, quem alias in delitiis habere solet, nihil in hoc studio debeat, alii dijudicent. Id extra omnem dubitationis aleam positum est, quod discere ab Orchardo, Concionatore Reformato in Novâ Angliâ potuit; Scripsit ille Tractatum Anglico idiomate, cui tit: Doctrina Diabolorum, quod ultimorum horum temporum maxima Defectio sit, demonstrata &c. per N. Orchardum; qui Liber Londini prodit Anno 1676. in Belgicum vero sermonem translatus est à Wilhelmo Sewvel, Anno 1691. Autor iste, quamvis fateatur, institutum suum

NON

non esse, ut aliis persuadeat, nullos existere Demones, nec à se negari, quod ingen: horum conatus sit, ut malis afficiant homines, secundum extremum virium suarum; unde id solùm demonstrare nitatur, quod ipsorum potentia & vires tantæ non sint, quales communiter describuntur, credunturq; abs hominibus, Vid. c. 4. p. 12. nihilominus eâ utitur sententiæ suæ declaratione, quæ ad Bekkerianas opiniones penitus accedit. Nam præterquam quòd in eo se totum esse affirmat, ut operationes Diaboli in limites cogat, secus atqve æstimant homines, vid. Præfat. operis. Christum quoque dicit non eiecisse Diabolos, utpote qui obsidere homines, illorum pervadere corpus, & huc illucve propellere non possint, sed in sanitatem pristinam restituisse mente captos, aut qualibuscunqve morbis ac ægritudinibus afflictos; Δαιμόνιον etiam non denotare Diabolum, sed vesaniam mentisqve corruptionem affirmat &c. vid. Cap. 8. p. 18. seqq.

§. 6. Præter hunc Orchardum nescio an Bidellum quoq; allegare debeam, à quo informatus noster instructusqve fuerit. Constituerat homo ille Socinianus in Libro, quem contra Divinitatem Spiritûs S. scripsit, & hoc inter alia convellere argumentum nostrum, quo ab Omnipræsencia hujus Personæ ad Divinam ejus Naturam concludimus; fingit igitur, unum tantum esse Sathanam, male intellectâ Christi parabolâ, Marc. 4. 15. qui tamen unus operari in ore quadringentorum falsorum Prophetarum potuerit 1. Reg. 22. 23, 24. qui unus impœnites, (quamvis illi maximam partem faciant humani generis) detinere illaqueatos possit pro suo arbitrio, 2. Tim. 2. ult. &c. planè quemadmodum Bekkerus non plures agnoscit, atq; unum tantum Diabolum, in eo licet diversus à Bidello, quod hujus in mundo non variam, sed nullam omninò operationem agnoscit.

§. 7. Enimverò præ omnibus istis, quos recensui, Bekkerus egregiè placuit Daillois. Vixit is antea in Xantonensi Gallorum provincia, Castro-Eraldensis Ecclesiæ Minister, nunc verò Religionis causâ apud Londinenses exul; prout refert Dn. Leydekkerus Dissertat. alleg. contra Bekkerum p. 197. Hic

B

Daillo-

Daillonius in Libro Gallico pro Religione sua Apologetico, cui tit. est: Examen de l'Oppression des Reformez en France, eadem, quâ deinde Bekkerus, oberrare chordâ deprehenditur. Unum dicit esse Diabolum, idque confirmare ex Scriptura, & adversa explicare loca nititur. In hoc verò opere, quantus quantus est, Bekkerus præludit, ipseque primus est absurdæ explanationis Autor, quâ Judæ vers. 6. per Angelos dicuntur intelligi nuntii & ablegati, fortasse illi, qui Num. 13. 2. 3. mittebantur à Mose, ut exploratores essent terræ Canaan, quos putat deseruisse τὸ ἴδιον οἰκητήριον, quando diffidentia sua & pusillanimitate effecerunt, ut puniti à Deo arcerentur ab habitatione, quæ ipsis futura fuisset propria ex promisso Divino, Regionis, quam exploraverant; quam explanationem Daillonii ipse prolixè refert Bekkerus L. 2. c. 9. p. 50. seqq. probat etiam eandem, quamvis in eo nondum sibi constet, quomodo pœnam à Petro descriptam 2. Pet. 2. 4. & Judæ vers. 6. applicare ad hos exploratores debeat, qui quanquam vi comminationis Divinæ mortui fuerint in deserto, & terram promissionis non inhabitaverint, Num. 14. 29. minimè tamen pœnæ infernali additi, & catenis tenebrarum vinciti perpetuis usque ad Judicium magni diei serventur, nisi fortè ita tolli dubium potest, quod vocabula Inferni, Catenarum & tenebrarum penes Hebræos mortem significant. Sic frater fratrem excusat, quem suæ atrocissimi sententiæ animadvertit.

§. 8. Quæris, quibus tandem fundamentis illi omne suum opus superstruant. Ego verò binas deprehendisse mihi videor magni moliminis Rationes: Prima est, quòd causantur; per illam, quam nos Diabolo vendicamus, operandi in hoc mundo potentiam, Divinæ dicam scribi potestati, tantumque de illâ detrahi, quantum vendicetur Diabolo: Altera est, quod fieri non posse putat Bekkerus, ut Dæmon, quoniam spiritualis substantiæ est, operetur in Corpus, idque quod localiter constitutum in hoc mundo deprehendit. De priori prolixè differit Orchardus, imprimis in Præfat. cujus verba Belgica Latinè reddam: *Quia Apologeta Diaboli, ait, Dæmonem,*

nem,

nem, imò & veneficum Christo assimilant, in actionibus singularibus atque miraculis, Christum capite quasi plectunt, & Deitate exuunt, & quid pejus esse potest? Quisquis Regem dicit ejusdem cum homine viliori conditionis esse, alium verò ex vulgo potestate Regiâ induit, ille Regem negat, & infima sorti adscribit; ille verò ex plebe non amplius talis est, sed Rex est; ita certè habet cum iis, qui equalem Diabolo cum Christo potestatem vendicant, deturbant Christum de sede suâ, aut Demones saltem Reges potentiâ eminentes efficiunt, qui Christo associantur; annon pessimi sunt conatus illi, & abnegationes Christi? -- Quidni ad asserta Apologetarum Demonis porro queras: quem putent majora cedere miracula posse, Christum an Beelial, Jesum an Beelzebub? Nam si eorum miracula eadem sunt, iidem etiam Dii sunt; quin procul dubio, qui maximorum miraculorum auctor est, ille & maximus Deus est; quod de Diabolo dicendum erit, ut videtur, ipseque adeò solus Deus, Christus verò non erit Deus, si enim potestate sua privatus est, aut, si illa cum alio equalis virtutis est, multò magis si alterius virtus major est, jam cum Divinitate ipsius actum est. Bekkerum eodem modo audire licet; qui cum in Prefat. L. I. ita se jactasset, quod hic Liber testis loco ipsi esse deberat, tantum potestatis & sapientie Deo ab ipso tribui, quantum ei detraxerant, qui Diabolum extulerunt; hinc inde deinceps profitetur, se nullam Diaboli potestatem agnoscere, quæ si ipsi vendicaretur, Deum opus sit de throno suo deturbari, quod ipsum inficias ire, quin damnare & refellere hoc opere suo & conatu voluerit. Vid. Cap. 17. §. 3. Cap. 34. integr. &c.

§. 9. Sed fallor ego, aut hi magno conatu magnas nugas agunt. Quis tandem nostrum, qui non omninò omnem Diaboli in hoc mundo operationem inficiamur, eò insaniam unquam dilapsus est, ut operationes illas divinæ agendi potentiæ æquare vellet? Magnas esse vires Dæmonum asserimus, quando quæ illi in assumptis corporibus, quin & extra eadem peragunt, contemplamur; quando ad actiones Magicas attendimus; quando effectus pessimos, sed illos tamen, quibus explicandis par humana potentia non videtur, qui ta-

men aliquod, idemque malum agendi Principium postulant, in mentem nobis animumque revocamus. Certè Gentilium eó jam pertingebat cognitio, qui Dæmones dari pessimos colligebant, quòd in humanis mundanisque rebus plurima contingerent, quæ minimè sancto cuidam & optimo Auctori, nec tamen & homini vendicari posse videbantur. At num propterea, quod magnam esse potentiam Diaboli dicimus, omnipotentem ipsum constituimus? Num propterea Dei potentia derogamus. Absit! Si Diabolum creare aliquid de novo posse & solere assereremus, næ ex illo Deus fieret; Si operari illum pro subito valere testaremur, jam Deum deturbare de throno niteremur. At quis id unquam statuit? Imò verò sint licet egregiæ Vires Dæmonum, non sunt tamen infinitæ: Præstet ille, quæ admirationem apud omnes & stuporem excitent, miracula præstare non potest, quod vis quædam divina ad illorum effectum requiritur. Noceat miris modis, & male agat cum hominibus, non tamen in omnes id potest, non in eos, quos consortes sceleris minimè habet, nisi Providentiæ Divinæ sapientissima consilia aliud expetant. Quid multis? Si quæ à causis secundis perfici, si quid in Naturâ fieri potest naturali agendi potentia, id facere potest Diabolus, sæpe etiam efficit & perpetrat, applicando agentia passivis, singulari quadam agilitate, quod diuturnarum experientia edoctus est; nec tamen idcirco ea potest, quæ vim causarum secundarum & Naturæ superant, & ad quæ producenda mediata creatione, Divinoque influxu opus est. Unde igitur pendebit Monarchia ejus, unde absoluta quædam agendi vis? Quod si ita crederemus, uti nonnullis ex Thomæ Aquinatis scholâ placuit, quod in rebus mundanis Deus omnia agat; causæ secundæ verò præsentiam tantum sui accommodent agenti Deo, jam negatæ Monarchiæ Divinæ, & adstructæ Diabolicæ argui possemus, qui præter Deum & malum Angelum motûs quosdam ciere posse, assereremus. Si quis Diabolum, (ita rectè Leydekkerus) in suis operatiobus indepen-

pen-

pendentem à Deo crederet, & non ejus Regno subditum, ut instrumentum, quò uti sanctissime & justissime placeret, jam urgeret nos Bekkeriana exprobratio. Quid ergo tandem? Diabolus nihil potest contra voluntatem Dei; quicquid potest, à potentia Dei acceptum, potest; quicquid agit, & male in hoc Mundo operatur, permittente Deo & limites eidem, quousque progredi debeat, constituyente, operatur.

§. 10. At, inquit Bekkerus Cap. 34. §. 18. hic penes Apologetas Diaboli magna se prodit versutia; cum Diabolum permissione Dei circumscribunt & determinant. Estque illud vulgatum & commune dictum, quod Diabolus hoc vel illud efficere possit, si à Deo concedatur. Fateor, quod horream, quoties homines ejusdem mecum fidei in hunc modum verba facere audio; Quasi verò Deus Diabolo concedere possit, ut Deus sit, Creator Creatura, ut Creator sit &c. Pari modo Orchardus: Communiter inquit, latitant sub illà opinione; dicunt, Deus in ipsis permittit, tumq; mira prestare potest & inaudita. Sed ego dico, Permissionem hanc merum esse inventum, figmentum, appositumque somnium. Concedat Deus Diabolo nimium, ne quicquam coërceat illum & constringat; ipse tamen Diabolus eà esse potentiam non potest, ut aliquid eorum agat, quæ solius Dei propria sunt. Permissio non est potestatis concessio, sed libertas tantum quædam, naturalem vim exserendi sine coactione &c. Et quidni tandem Diabolus potestate à Deo accepta ita abutatur, ut Deus sine Diaboli permissione, proprias efficere operationes suas nequeat, nec malum agere nec bonum, nec quicquam ad se opum perducere. Nam quamvis par in parem non habet potestatem imperandi, destruendi, &c. potest tamen habere potestatem resistendi, oppugnandi, &c. Horret profectò animus, dum hæc refero. Nemo hucusque fuit, qui permissionem Dei cum collatione potentia confundere voluit; nemo, qui per Concessionem hujus illiusve Operis solum esse à potestate Dei, aut hæc ipsa donatum Dæmonem affirmaverit; nemo, qui, quæ Deus tantum potest, in Naturâ & supra Naturam, Diabolum etiam posse confirmavit. Id dicimus repetimusque, ea sæpe agere Dæmones, quæ nobis impervia

sunt, naturales tamen causas agnoscunt; Quæ humanam potentiam exsuperent, ut sanare citò morbos absque adhibitione visibili Medicamentorum, in clauso conclavi efformare corpus, in eo operari, illudque in sua vicissim principia resolvere, & quæ hujus generis alia sunt, Diabolo vendicamus, quod ad id pertingere ars nostra, vires nostræ, sapientia nostra non potest. Qui plus illi tribuit, & Divinam quandam agendi vim in Diabolo somniat, à nobis non defenditur, ventoque locuti sunt & cum illo depugnarunt Bekkerus pariter & Orchardus; quanquam & id vellem Bekkerus consideraret, quod si maximè verum foret, quod ille asserit, non esse magnam Diaboli potentiam, nondum tamen exinde sequeretur, & colligi liceret, quod nulla sit, ipseque inferno inclusus plane extra illum operari non possit, quod ab ipso demonstrandum erat.

§. II. Sed videamus nunc, utrum altera Ratio, quam rebus suis supponit Bekkerus, meliore nitatur fulcro: Hanc principie loco habet, cumque aliter succurrere placitis suis per fortissima Scripturæ Sacræ sibi adversantis fundamenta nequit, dimissâ instituti sui ratione ad illam velut sacram anchoram confugit, consultumque esse conatui suo sufficienter existimat, si dicat, id demonstrandum unicè esse, ut Spiritum operando afficere, nec alium Spiritum, nec Corpus posse evincat. Pluribus in locis hujus argumenti sui mentionem injicit, sed duo saltem dabo: *In Prefat.* statim *Lib. 2.* digitum eò intendit, cum dicit: *Scio, quantum ad usum Rationis attinet, quod illis in hoc opere satisfacere non possim, qui Cartesii fundamenta penitus rejiciunt, aut latius etiam extendunt; secundum quæ verò ego Spiritum atque Corpus à se ipsis, utrosque autem à Creatore distinguo, nihil de illorum operationibus affirmans, cujus rationem nullam video.* Sed apertius rem agit *L. 2. c. 10.* ubi primùm de Angelis bonis negat, quòd multum sciant de rebus humanis, maximèque cogitationibus nostris, malos autem omninò carere asserit à noticiâ rerum nostrarum, cum ex revelatione di-

vind

vinâ petere eandem deberent, quæ verò, si id vergere in detrimentum
piorum posset, nihil manifestare voluerit Diabolis, si in bonum &
commodum proborum, Angelorum potiùs bonorum ministerio usura
sit; sed hoc asserto non contentus, disquirere de potentiâ &
operationibus Spirituum finitorum incipit; has partitur, ali-
isqve earum tangi debere spiritum alium quemcunqve dicit,
aliis verò affici corpora; *Quomodo Spiritus aut Angelus, inquit,
operetur in nostrum spiritum, h. e. animam, Scriptura non explicat.
Imò verò quomodo aliquid operari potest penes id ipsum, de quo nihil
novit aut intelligit? Hoc volo; si Angeli operari possunt afficiendo a-
nimam nostram, opus est, ut id fiat cognoscendo cogitationes nostras;
at illæ soli Deo cognitæ sunt. Si me Spiritus instigare ad peragen-
dum opus aliquod potest, absqve loquela & signis à me editis, quod
mediante corpore fit, opus erit, ut id faciat, quia cogitationes, quas
mente servo, non placent ipsi, ad oqve alias poscit, quas in me non
invenit. At quid inveniat, vel non inveniat, qui nullius cogitata
novit? Invenire illas in homine, imprimere ipsi, corrigere eas, aut
confirmare, opus est solius Dei Spiritus. Hinc colligit, absur-
dum esse, quod communiter docetur, bonas cogitationes
suggeri à Spiritu Sancto, malas à malis Angelis. Qvî enim
creatura id egerit, quod Dei est; quiqve mali Angeli pote-
state majores sint atqve boni; cum his non tribuatur, si quid
in hominibus boni existit, contra, malis id omne, quod pes-
simè cogitant, aguntq; mortales: absurdus adhuc esse putat,
quòd à Dæmone ortum, profectumq; dicitur, quodcunq; illi
etiam cogitant animoq; concipiunt, qui bonitate vitæ ab An-
gelorum consortio alieni sunt. Omne id ex errore credi, dicit,
inque ignominiam cedere & Dei & Angelorum bonorum. E-
odem modo de operatione Angelica, quæ in corpus diriga-
tur, existimat, quam ipse assequi non potest, quâ ratione fiat,
cum nulla detur communio inter Spiritum & Corpus &c.*

§. 12. Hæc de re ut breviter dicam, quod sentio; ego tum
ex falso supposito, tum ex incongruo conceptu de Operati-
onibus Angelorum omnem illam enatam Bekkerō difficulta-
tem

tem existimo. Falsum certè suppositum est, quòd nullam dari communionem spiritus atque corporis existimat. Non dicam de aliis momentis, in quo conveniunt ab utraque parte Corpus & Spiritus, id sufficit, quod uniri spiritus potest cum corpore ad edendas communes operationes, sic ut ex arctissimâ conjunctione illâ fiat una persona. Nam si noster spiritus. si anima nostra habet corpus, si in illo agit & operatur, quidni detur communicio quædam inter spiritum atque corpus? Sed transeat illud: πρώτον ψεύδεται Bekkeri est, quod modum operandi Angelicum non ita concipit, uti par erat. Illi, quorum Principia ipse sequitur, quosque putat in *Prefat.* facilius secum consenturos esse, omnem Diaboli operationem fieri per ipsius voluntatem dicunt, eo quod tactus aliquis corporeus ipsis veluti spirituali Essentiâ præditis, minimè conveniat. Per hanc verò voluntatem putant prodire in actum Angelos, non aliter, quàm ut possit à eadem, aliud quid sequatur in creaturis, quod tamen totum, quoad suam realitatem Degefficit. Hæc si ita habent, prout Wittichius exponit *Theol. Pacif.* §. 137. nescio ferè, annon rectè dixerit Bekkerus, nullam esse Diaboli operationem, vel in aliud quodcunque extra se positum, vel maximè in corpus: nam hoc modo non Angelus amplius aget & operabitur, sed Deus aget ad præsentiam Angeli ejusque elicitam volitionem, neque tribui ipsi poterit quicquam hujusmodi actionis, quàm in quantum Deo placet, ad ipsius voluntatem operari. Sed hæctenus assentiri huic explicationi non possumus; quidni enim tum dicendum foret, id omne fieri debere, & effici, quod Angelus velle potest, si ipsorum voluntas ipsa operatio est? quidni afferendum fuerit, quod tamen profanum & blasphemum est, malum omne, quod volunt pravi spiritus ad ipsorum voluntatem à Deo effici, & ut mitius dicam, obsessos taliter homines vel insanos (prout æstimat Bekkerus) à Deo ita agitados, motos, convulsos fuisse, quemadmodum experientia illos & olim & hodiè oculis subjecit. Non ergò sola voluntas est, non nuda ejus directio, per quam efficiuntur Angelica

Angelica

gelica Opera) ut difficile sit, actiones spirituum in Objecta à se
distantia cognovisse; quanquam illud hic addam, quod licet &
nos fateamur, per voluntatem suam agere spiritus, nondum ta-
men colligere Bekkero integrum foret, nullam planè esse opera-
tionem Angeli in corpus; neque enim à negatâ scientiâ modi
operandi ad negandam ipsam operationem valet progressus,
quod multa à nobis ignorantur, quâ ratione fiant, quæ tamen re-
vera fieri conspiciamus atque intuemur. Sciat ergò Bekkerus,
nos & communionem statuere quandam inter spiritum & cor-
pus, & non ad solâ voluntatis præsentiam fieri actus Angelicos,
asserere. De communionem illâ testatur anima nostra, quod nec
inficias ire Bekkerus potest; *de nostro Spiritu*, inquit, *notum est,*
quod in corpus operari possit, cum corpus habeat, L. 2. c. 9. unde
non est, ut hanc communionem ex ipsis operationibus huma-
nis, passionibusque corporis, quæ in animam quoque pertin-
gunt, quod facile possem, explicare ulterius instituum: Explicet
verò jam Bekkerus, quomodo ipse clarâ & distincta perceptione
hanc operationem animæ conceperit, & nostrum tum erit, An-
gelicam operationem in alienum corpus monstrasse; secus,
si ipse sibi in asserto suo non sufficit, nec à nobis modum expo-
nendi flagitet, quo operetur Angelus; quamvis interea nos ope-
rationem ejus in distans, uti ille actionem spiritûs in corpus uni-
tum, veram esse, & extra dubium positam asseramus. Sed quod
non solâ voluntatis præsentiam actiones edat Angelus, hoc est,
quod maximè opus videtur, ut explicare Bekkero dilucidius co-
nemur. Nostra scilicet sententia est, præter voluntatem Angelicam,
quando spiritus ille operatur, requiri præsentiam ejus substanti-
alem, requiri potentiam actumque exequentem, sine quibus si fu-
erit, nulla est, quæ corpus distans attingat, & moveat, operatio
spiritualis. Loquatur pro nobis Svarezius: *Habet (res spiritualis) sub-*
stantiâlem & realem præsentiam definitam, secundum quam necesse est passò
conjugi, quando agit in illud. Non enim movet (Angelus) per has poten-
tias, ut proximè elicientes motum, sed dirigendo & applicando poten-
tiam exequentem, quam oportet conjunctam esse passò. Id quod ex
Thomâ declarat, qui actionem Angeli dixit radicari in Essen-
tiâ ejus, à quâ procedit virtus & operatio, & ideò necessarium
esse

C

esse

esse, substantiam ejus aliquo modo conjungi rebus, quas movet, quia movens & motum debent esse simul. Et declaratur præterea, addit Svarzeius, quia si efficacia in movendo pensanda esset ex modo, quo voluntas attingit suum objectum, sicut voluntas Angelis indifferenter velle potest propinquum & distans quantumcunque; ita eadem efficacia posset movere corpus propinquum & distans quocunque, distantia; consequens autem est planè absurdum, quia cum virtutem habeat finitam, non est verisimile, posse æquè operari in rem quantumcunque distantem, sed habere terminum in sphaera activitatis suæ; sicut ergò aliter comparatur potentia motiva ad subjectum, quam voluntas ad objectum, ita etiam in absolutâ conditione propinquitatis & distantie; potentia enim movens agit realiter & transeunter in subjectum quod movet, & ideo oportet, ut sit realiter indistans ab illo, secus verò est de voluntate, ut versatur circa objectum, in quod realiter non agit, neque ipsum immutat. Vid. Svarz. Metaph. Disput. 18. §. 47. 48. Ita ille de principio actionis spiritualis, quæ ad corpus fertur; à quo non omninò abeunt ex Cartesii etiam schola nonnulli, qui operationem quandam voluntatis, seu potestatem illius allegare solent, per quam fiat actio, quâ illi contradistingvere Voluntati Divinæ consueverunt, quæ non ut illa dependenter, sed independenti efficaciâ operetur. Et verò si ita rem concipias, difficile amplius non fuerit, ideam quandam de Angelicâ & spirituali operandi methodo concipere, quam quia in se non deprehendere poterat Bekkerus alienis suppositis occupatus, ipsam operationem inficiari voluit.

§. 13. Jam si de operatione Spiritus, quâ alium afficit Spiritum dicendum est, res certissima est, quod Spiritus agere in spiritum possit & soleat. Quid enim, si secus habet, Bekkerus de Angelis eorumque societate videatur, quæ sine hac operatione nulla est, & in truncos quosdam aut lapides Nobilissimam substantiam convertit; sed modus tamen hujus operationis difficultate suâ non caret; quanquã existimo haud male Scholasticos docuisse, quod omnis illa actio peculiari quâdam conceptum imprimendorum ratione peragatur; sive ad illam substantialis conjunctio Spiritus agentis cum altero, in quem agit, sive moralis tantum, quod in mandatis communicandis fieri potest, requiratur; in quo non omnes consentiunt, nec ego judicium atque sententiam

tentiam nunc interpono. Pertinet autem huc agitata lis de lo-
quela, quam vocant, Angelicâ, quæ an per signa fiat sive sensi-
bilia, sive an spiritualia, nudâ intellectiõnis suæ ad alterum dire-
ctione, an cogitando, se velle, ut manifesti sint alteri actûs suæ
intellectiõnis & volitionis, an imprimendo cognitionem sui
conceptûs intellectui alterius, idque aut sine speciei beneficio,
aut cum illâ, multa est & proluxa diffensio: Cartesiani, quicquid
huius operationis esse potest, voluntati adscribunt; propterea,
quod intellectûs officium sit, res objectas percipere, isque fere
passivè se habeat. Unde statuunt, certum à Deo institutum esse
nexum inter Voluntatem unius Angeli, & perceptionem alteri-
us; ut quodcumque unus Angelus cogitationes suas alteri
cognitas esse vult, eo ipso illæ alii Angelo revelentur. De ho-
mine aliter sentiendum existimant, quando in illum agit Ange-
lus; quia enim is speciem intelligibilem nec imprimere Ange-
lo, nec accipere ab eo potest, cum inter Angelos & hominem
tale commercium ac nexus non sit, qualis inter voluntatem, &
intellectum duorum Angelorum, itaque loqui Angelum homi-
ni, vel agitando & figurando aërem ad eum modum, quo oportet,
ut verba in eo effingantur; vel glandulæ nostræ, sive cere-
bro talem motum, qualem à Nervis extrinsecus motis peragere-
tur, ac veluti imaginem ejus rei, quam nobis offerre vult, impri-
mendo. Quod quando fit, non jam immediatè menti nostræ
illabi, ac voluntatem nostram inclinare posse Angelum tradunt,
cum id solius Dei opus sit, sed mediatè agere per phantasmam,
cui potentissimas illecebras objiciat, & spirituum in cerebro
motum, quos ad formandas in nobis has illasve cogitationes
producat, uti in vatibus Gentilium ac obsessis patet.


§. 14. Hæc verò recepta hæctenus de Operatione spiritu-
um sive in Corpora, sive in alios Spiritûs tendente, Doctrina est,
quâ si quid proficitur ad dilucidandas has difficultates, jam om-
nis concidit Bekkeri Conatus, nosque haud injuriâ arbitrabi-
mur, Dæmonem, movere posse corpora, ac circumagere, opera-
rique in materiâ variis divertisque modis, prout experientiâ re-
rum ipse edoctus est, & agere etiam in animam nostram, non
ut omnes ejus cogitationes & secreta animi perspiciat, etiam

C. 2

quando

quando externis signis minimè se produnt, quod Bekkero facile concedimus, sed ut suppeditet tamen occasionem conceptuum & cogitationum, quæ abs ipso homine eliciantur. Hoc sensu non erravero, si dicam, Diabolum afficere nonnunquam immediatè intellectum nostrum, sæpius tamen phantasiam aliosq; sensus, ut per eos mens ipsa motum sentiat & dirigatur. Qui enim non intellectui speciem quandam imprimat, cum constet, pios etiam cordatosque homines miris haud rarò anxietatibus premi, & cogitationes concipere de Deo & rebus divinis, quas nec audiverunt unquam, nec affectant; ne dicam, quod de rebus loquantur sæpe remotissimis, quæ hoc momento fiant, quas concipere distincta repræsentatione Phantasia & servare non poterat. Quod verò & Phantasiâ movere possit Diabolum, multò adhuc clarius est, cum animales eiere spiritus, comprimere & dilatare ventriculos cerebri procul dubio valeat, quod quandoque in mente captis accidere consuevit; quanquam si illud durius videatur dictu, id absolum videri non potest, si dicam, ex quorundam recentiorum sententia, movere Diabolum posse plicas, quæ cerebro impressæ sunt, tumque per hunc motum efficere, ut imago recondita ex illis quasi prodeat, & agitata plica proximè coherente, nova eliciatur species, cujus aliquod saltem vestigium adhuc superest, sicque & somniantibus & vigilantibus phantasmata supponere possit Dæmonem, per quæ in uberiores rerum ipsarum ventilationem intellectus deinde deducatur. Si ita rem conceperit Bekkerus, qui que cum ipso sentiunt, non erit, quod nimias sibi fingant difficultates in re, quæ probabiliter cognosci atq; explanari potest. Videat verò tandem ipse, quomodo Sathanam ex hoc Orbe exterminet, quem spiritum esse supponit, hæc substantiam cogitantem; cum *Substantia cogitans eo ipso quo cogitat, ubique sit, quorsum cogitationes suas dirigit*, quæ absurda ejus & crassa philosophandi ratio est; *Vid. L. 2. c. 10.* quidni enim hoc modo Diabolum in Mundo sit, cum in Gehenna latitans de Mundo saltem cogitat, & homines sibi concipit? sed transeant demum hæc omnia; Ego certum verò, operari omninò Dæmonem in hoc Orbe, quod experientia abundè docuit, nec puto, probationi hujus rei, nec ulteriori sententiæ Bekkerianæ examini, (quod prolixiora à Theologis operam sibi poscit, quam hic dato studio seposuimus) insisto, omnemque prout hæctenus institui, *de Dæmonologia Recentiorum Auctorum falsa* differendi conatum non frustra mihi excidisse sentiam, cum æquò lectori persuasum erit, *quod in re difficili vel. soluisse satis sit.*

S. D. G.



Coll. diss. A. 32, misc. 9